



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

XIII. Qvod Inventvs Est In Monasterio clausis ianuis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

4. Reg. 7.

saturati, & murmurabunt aduersum me, calices & vestes & libros & alia ornamenta distrahere pro victu compellor, tu ergo subueni, tu succurre, tibi enim reuelauī causam meam atque necessitatem. Huiusmodi famuli sui clamores Dominus exaudiuit, beati GEORGII, quem mediatorē elegerat, interuentu, nec eum distulit consolari. Nam statim in crastino nobilis quidam & diues, cuius dominus cor tetigerat, superuenit, & honorans Dominum de sua substantia, fratrum suppleuit inopiam copiosè, ita ut noui cuiusdam meritis Helisei, pristina fames in Prúfingen tanquam in porta Samariæ pelleretur. Adhuc excellentiorem viam ostendendæ sanctitatis ipsius duximus demonstrandam, quibusdam forsitan incredibilem, sed compertam crebra relatione fide dignissimi senioris, qui tanti miraculi testis & conscius fieri meruit & Symmista

QVOD INVENTVS EST IN
Monasterio clausis ianuis.

XIII.

DE quadam cum ante ianuas staret Ecclesiæ Pater sanctus, & fores essent clausæ, custode Monasterij stante cum illo, cuiusdam necessitatis euentu, Ecclesiam ipsam, Dei seruus intrare volebat. Cumque custos propero cursu circueiens, aperire Abbati Ecclesiam properaret, inuenit eum, mirabile dictu, quem foris reliquerat, introrsus ante altare sanctæ CRUCIS intente orantem in ipso loco, vbi nunc eius venerabile est sepulchrum, ianuis tamen Ecclesiæ non apertis. Cumque custos insolita nouitate miraculi staret attonitus & stupefactus, tantæ rei euentum apud se miraretur, surgens oratione completa vir Dei, custodi sub districtæ

con-

contestationis interminatione præcepit, ne ante ipsius exitum de hac vita, alicui hominum, id quod viderat reuelaret. Quid ergo dicemus ad hæc nisi quod famulum hunc fidelem in Domino & Dominum in electo famulo suo, laudare, benedicere, & prædicare non desinamus, qui quod in se ipso post resurrectionem suam discipulis suis ostendit, ostendit in seruo similiter, antequam & à corpore eius nexibus solueretur. Nihilominus istalegentes aduertant, in quam solidæ humilitatis terra donum mentis suæ vir ille fundauerat, qui omnem statum fauoris humani, ventumque popularis auræ, tanta cautela & studio deuinit. Ecce iam præcursoris nostri, qui exultauit ut gigas ad currendam viam cœlestium mandatorum, passus industrios & veloces, pro tarditate nostra pigris calami gressibus subsequendo prorepsimus, quantumcunque in odore vnguentorum eius admodum delectati, & post eum lætanter currere gestientes, sed ecce ubi est vestigio Heliam nostrum cum Heliseo consequimur, tristes metas attingimus, iam Baal Pharisim quod sonat, virorum diuisio è vicino nos terret, inter fratres diuidens & Abbatem, inter pastorem & Agnos, inter discipulum & magistrum.

DE TRANSITV BEATI ERMINOLDI.

RESTAT verò transitum eius de hoc mundo ad patrem, & eius occasiones tristissimas exequamur, tristes, inquam, non sibi sed nobis, non sibi qui semper cupiebat dissolui, & esse cum Christo, sed nobis quibus in carne vultuiter permanisset, propter hoc salus hinc refugit, manus trepidat & terretur calamus ipse percellitur & formidat. Sed enim velimus nolimus, eun-

XIV.

X x x dum